



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XVI. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

bis exigit amorem. Et licet pia mater Ecclesia cuilibet hunc agnum sumpturo imperet: ut suæ indignitatis memor, cum centurione exclamet reiteratis vicibus: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Jubemur tamen baculo firmæ spei inniti, instar Zachæi cum gaudio tam benignum hospitem excepturi. Thronum Salomonis sustinebant duæ manus, hinc & inde tenentes sedile 3. Reg. 10. talem adumbrat thronus agnus Eucharisticus, gratiosas porrigens manus amicis, ut confidenter accedant, quin & voce animat, dum ait Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Demum non lentè comedendus est, sed summa cum animi aviditate. Quare davidicò protestatur ore: *Edent pauperes, & saturabuntur.* Pauperes, quis nescit, esse homines famelicos, & hinc maximo cum gustu & appetitu appositis vesci cibis? quare etiam Deipara virgo, quæ hunc cibum virginali in utero coxit, cantat Lucæ 1. *Esurientes implevit Bonis.* Ô si tantò appetitu protoparentes nostri comederunt fructum, sibi mortem allaturum, quomodò nos Christiani summâ cum aviditate involemus in panem, de quo dignè sumpto, certi sumus: consecuturos nos vitam. Joan. 6. dicente Christo. *Qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum.* Porro sicut illâ nocte, quâ abituri ex Ægypto Judæi comederant Agnum paschalem, omnia Idola divinitus diruta sunt: sic in anima, dum Sacro hoc pascitur Agnò, omnia Idola pravarum passionum & affectuum penitus evertenda sunt.



FASCICULUS XVI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 13. lib. Exodi, in quo describitur Lex de Primogenitorum consecratione.

N.93. Considera 1.

QUOD Deus quemlibet Christianum manè surgentem per Sanctam Inspirationem alloquatur talibus verbis, qualibus in Exordio hujus capituli fuerat Moyses

scilicet

sen allocutus dicens : *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Formes videlicet bonam Intentionem , tanquam primum partum animæ tuæ , vî cuius omnes cæteros actus & opera , per diem agenda , mihi offeras tanquam honori meo consecrata. Sponsa , animæ Christianæ figura , Sponsum suum istis affatur verbis. Cant. 7. *Omnia poma, nova & vetera servavi tibi.* Omnes nempe actiones , quæ velut fructus ab homine , arborem imitante , decidunt , tuæ dedicavi gloriæ , tuo honori consecravi : ut enim boni fructus ramis , rami arboribus , arbores suis innituntur radicibus : ita devotæ & Deo charæ animæ vita virtutibus , ipsæ autem virtutes bonæ intentioni innituntur & sicut poma ex arbore lapsa , & in terra jacere permessa putrescunt , super illam verò collecta , & in elevato loco posita conservantur : ita actus nostri per bonam intentionem elevati , æternâ duratione redduntur digni ; qui aliàs marcescerent , & putrescissent ob finem terrenum & respectum humanum peracti. Videtur meritò paradoxa locutio illud S. Pauli effatum Rom. 8. dicentis : *Qui in carne sunt , Deo placere non possunt.* Nunquid enim non placuere Patriarchæ , Prophetæ , Martyres & Virgines , & horum omnium nunquid displicuit Regina ? hos enim omnes humanâ carne indutos fuisse , quis negabit ? testabatur olim in monte Pater : *Hic est filius meus dilectus , in quo mihi benè complacui,* & tamen de fide constat : hunc quoque de matre virginea carnem sumpsisse , & in hac existisse semper. S. August. Serm. 6. de verbis Apost. hæc ipsa Divi Pauli verba admiratus , dubiæ quæstioni respondet asserens : *Placuerunt , sed in carne non fuerunt , portabant carnem , sed non portabantur à carne.* q. d. hi omnes utique vixerant in carne , sed eorum opera nil carnale sapiebant. Carnem sapit : comedere & bibere ob delectationem sensualem , carnem sapit : laborare ob lucrum temporale , carnem sapit , opera sua peragere ritu pharisaicò , de quo Christus Matth. 23. *Opera sua faciunt , ut videantur ab hominibus.* Et carnem nequam sapit , si actus humani non tantum ex objecto boni , sed etiam indifferentes præeat , & comitetur intentio , his correspondens verbis : *Ut in omnibus glorificetur Deus.* De sponsa , superius laudata quærunt è Coelò prospicientes Angeli Cant. 5. *Quæ est ista , quæ ascendit sicut Virgula sumi , ex aromatibus myrrhæ & thuris , & omnis generis pigmentorum ? quid ? fumum dicitis sponsam , quæ densum & carnem circumfert corpus ? myrrhæ illam comparatis , quæ tamen adhuc corruptibile circumfert corpus ?* Gilibertus Abbas Serm. 15. in Cant.

Q 2

Quæ-

Querentibus respondet, dicens: ò quàm delicata sponsa ascendit, quàm penè sine mole corporis? & quàm penitus sine corruptione corporis? quanam erit corpulentia, ubi fumo confertur? qua corruptela cum illa non caro fluxa, sed aromata cremata exhalent? en! Christiane Lector alluditur hic ad odorem, quem in thymiamate amabat sponsa, in intentione videlicet optima, quâ opera sua licet in carne, non tamen ut carnem redolentia, peregerat, divinis obsequens monitis Exodi 30. per Moysen datis: *Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia Sanctus est Domino.* q. d. cavete, ne aromata actuum vestrorum vestris deserviant commoditatibus, redoleant humanum respectum, sapiant carnem, Deo enim soli debentur, hujus ut recreent nares.

Vide nunc Christiane: an non de nocte examen faciens, reperias, plurimas actiones tuas in vanum abiisse, fumum quidem imitatas, non qui ascenderit versus cœlum, ut Deum honoret, sed qui à vento commoditatis propriæ, vanæ gloriæ, aut alterius indebiti finis dispersus, sicque in nihilum redactus sit. Proh! quantam ingratitude notam incurristi, dum Deus in tui utilitatem lucere solem, crescere fructus, germinare herbas, flare ventos, fluere aquas jussit: tu verò vix ullum actum ejus honoris & gloriæ consecrasti?

N. 94.

Confidera 2. Quòd licet Ægyptii Israëlitas egressuros omnibûs armis denudaverint, ne contra eos armati insurgerent: S. Scriptura tamen hujus cap. V. 13. dicat: *In manu forti eduxi de terra Ægypti, & v. 18. Armati ascenderunt filii Israël.* Quis dixerit: armatos exstitisse illos, quibus nec unus quidem gladius, quem è vagina educerent, relictus est? Sed en! quibus defuere arma materialia, adfuere arma spiritualia, dum constat: Moysen Ossa Josephi secum ex Ægypto tulisse; Sanctorum enim Reliquiæ instar ensium; instar arcuum aut hastarum contra hostiles insultus deserviunt. Ita Petrus Arragonum Rex primus corpore Sancti Victorini, quod in Castris tempore belli habuit, quadraginta millia hostium stravit teste Bollandô 12. Jan. & in Chronic. Fland. Belg. lib. 15. cap. 9. legitur: *Dum super mœnia pugnabatur, Processio circa ipsa agebatur, & Cruces & Reliquiæ deserebantur.* Adeoque non tot fiduciæ civitates illæ posuerant in fortissima militum manu, in turrium ac murorum altitudine, in fossarum profunditate, in tormentorum curruum igne, quot posuere in Reliquiarum præsidio. Pari de causa S. Gregor. M. lib. 7. epist. 33. exclamat: *Si gladios Italia & bella formidatis, sollicitè debitis quanta aspicere, B. Petri Apostolorum*

lorum Principis in hac urbe protectio est, in qua sine magnitudine Populi & adiutoris militum tot annos inter gladios illæsi Deo auctore servamur.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 14. & 15. Exodi, in quibus describitur Populi timor, & Pharaonis exercitu insequente conceptus, transitus per divisum mare, Pharaonis submersio. Canticum Populi & dulcificatio aquarum.

Considera 1. **Q**UAM verissimè dixerit Victor Antioch, quando in N. 95. cap. 6. Marci scribens dixit: *Ubi humana deficiunt, ibi divina mox se prodere incipiunt.* Eò angustiarum venerant fugitivi ex Egypto Israëlita, ut prorsus nihil superesse videretur, quò imminens effugerent exitium: nam à tergo instabat hostilis eques & armati currus, à fronte sese eis objecerat tumidum mare. Unica patebat ad cælum via, quâ irent fervidæ preces, quas ut fudit Moyses, ociùs audiit respondentem Deum: *Quid clamas ad me? loquere filiis Israël, ut profiscantur: tu autem eleva Virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradientur filii Israël in medio mari per siccum.* v. 16. cap. hujus. Poterat ægrotos ille, qui tot annis apud piscinam probaticam miserrimè jacuit, conqueri, se hominem non habere. Sed conqueri non poterat, Christum sibi medicum defuisse. Poterat mulier illa Luca 8. Conqueri, se omnem substantiam in medicos collocasse, nec tamen à fluxu sanguinis liberatam esse: at conqueri non poterat, se à Christo non esse sanatam. Poterat cæcus ille Joan. 9. Conqueri: se curatum à Christo, à Judæis esse foras ejectum, & ab omnibus derelictum: at conqueri non poterat; se à Christo non reassumptum. Poterant demum Discipuli Matth. 8. in mari periclitantes conqueri, se perituros, dum nullus homo præstò esset, qui ferret opem: sed conqueri non poterant, sedatis à Christo fluctibus se non esse in tuto positos. De subulcis scribit Theophilactus in cap. 15. Luca: *Quòd porcorum nimios clamores pertæsi, eos resupinent, ut sic versò in cælum capite, quò antea terram aspexerant, cessent à clamoribus.* Idem planè agendum pastoribus animarum: qui si audierint homines Christianos calamitatum impatientes cum Israëlitis murmurare, illicò serià adhortatione eos resupinent, cœleste spondentes auxilium, dicendò cum Moysè v. 18. citati: *Nolite timere: state, & videte Magnalia*

gnalia Dei, qua facturus est hodie. Videbatur hæc verba Moysis profunde admodum suo infixisse cordi Rex ille pius Jolaphat, & hinc exercitui suo ad pugnam congregato dixit 1. Paralip. 20. *Credite in Domino Deo nostro, & securi eritis. Credite Prophetis ejus, & cuncta evenient prospera.* Si non majorem, parem saltem fiduciam posuerat in ope divina Esdras, qui venturus in Jerusalem per quam periculosa via noluit petere conductum à Rege, sed jeuniis & orationibus sese armavit. 1. Esdr. 8. cernens Nehemias plurima imminere pericula & labores Templum ædificantibus, inquit 2. Esdr. 4. *Deus pugnabit pro nobis, & nos ipsi facimus opus.* Taceo penè innumera, quæ reperire est in historiis Sanctorum, admiranda divinæ Providentiæ exempla. Legat, qui dubitat vitas S. Joannis Eleemosinarii. S. P. mei Benedicti, Domini, Francisci. Cathar. Senens. Ignatii Lojolæ &c. quare Psal. 39. regius Propheta non veretur *beatum* proclamare virum, qui plenis velis in infinitum illud Providentiæ divinæ pelagus suam egerit navem, *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.* Cum enim Deus sit summa bonitas, quid poterit mali ab eo expectari? cum sit summa Potentia, quid mediante illò non poterit superari? cum sit summa Sapientia, Quid illò dictante poterit stultè agi? quare Christiane Lector verbis Mosaicis morem gerens, ita erecta in cælum mente, quæcunque tandem necessitas te obruat: non dubita, fore ut inde auxilium, si salus animæ tuæ admiserit, ocius consequaris. Vide econtra firmam, sed prorsus abominandam quorundam hominum fiduciam, qualem ipse Pharaon cum exercitu suo Israëlitas insequens habuit: Is enim depositò omnî terrore divisum mare intrat, quasi certus: se pariter sicco pede illud transiturum. Ita plurimorum Christianorum mos est, etiam in summo damnationis æternæ periculo vanâ salutis confidentiâ demulceri: dormire ante portas mortis & Inferni; & licet ex filo tenuissimo eorum vita salusque dependeat, temerè tamen audent joculari, ludere, securò pectore gaudere.

N.96. *Considera* 2. Filios Israël etsi adhuc longissimè abessent à terra promissionis: atque hinc debitam gratiarum actionem Deo persolvendam, potuissent eò usque differre, donec in tuto positi, totum iter absolvisent. Nihilominus ut vix mare rubrum sicco pede egressi sunt, illicò exclamasse: *Cantemus Domino &c.* noverant hi: Deum per celerem gratitudinem ad conferenda nova beneficia compelli, quod eventus docuit. Testantur hoc coturnices è cælo missæ, quæ famem sedârunt.

runt. Testantur hoc aquæ frigidæ, ex durissimis etiam petris fluentes, quæ sitim restrinxerunt. Testantur tot barbaræ gentes, per Israëlitas aut cæcæ, aut in fugam actæ. *Ita est liberalis Dominus ait S. Chrysof. tom. 1. Homil. 14. in Genes. ut quando videt, nos benè & cum gratiarum actione uti his, quæ nobis concessit, ultrò nos prioribus & majoribus augeat.* Grandem utique gratiam à Deo acceperat Jonas, qui molestissimò solis æstu tortus, hederam obtinuit caput tegentem: at brevî tempore hæc gratiâ fruitus est; dum vermis à Domino præparatus derepentè erofit, & arefecit hederam. Causam eventûs istius non quære, si nota tibi fuerit Prophetæ hujus ingratitude, per quam non tantùm indignum se novæ gratiæ reddit, sed priorem quoque perdidit. Docebunt sequentia: Israëlitas à serpentibus ignitis horrendum in modum afflictos esse: Sed causam calamitatis hujus nobis pariter deteget scriptura, quando gravissimam hujus gentis ingritudinem narrabit, vî cujus tot acceptorum à Deo beneficiorum immemor, querulas voces contra Deum & Prophetam ejus effundere non erubuit. Viciosæ ingritudinis notam & debitam illi pœnam etiam incurrunt; qui etli cum Israëlitis non murmurent, aut cum Jona inobedientes sese non demonstrent, id tamen agunt: ut beneficium à Deo obtentum suis adscribant viribus. Peccant ergò peccatò ingritudinis, qui multîs aucti pecuniis, suæ solertiæ, & in tractandis rebus dexteritati tanquam causæ principali illud adscribunt. Peccant, qui uberem consecuti vindemiam aut segetes, laudant suam in colendis agris & vineis industriam atque peritiam. Peccant, qui de scientiis aut rarâ facundia laudati in hac laude, quasi sibi debita quiescunt, non referendò illam in Deum, tanquam horum omnium fontem. Peccant, qui heroicos mortificationis actus exercentes, cum Pharisæo de populi acclamantis applausu sibi gratulantur. Hi omnes: cum imitentur corniculam, alienis superbientem in plumis, parem pœnam cum illa, ab aliis avibus deplumata, accipient. *Qui enim de acceptis extollitur, cuncta, quæ acceperat, amittit.* S. Greg. l. 9. moral. c. 1. Consule nunc Christiane Lector conscientiam tuam, & vide: an non horum è numero unus sis, qui tam pudendâ ingritudinis maculâ se conspurcant: & nî malis, obtentis à Deo beneficiis in pœnam spoliari, dic cum Propheta: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* dic itidem cum illo: *non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Dic cum Israëlitis: *Cantemus Domino &c.*

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 16. lib. Exodi, in quo describitur Populi murmur ob famem & desiderium carniū Ægypti &c.

N.97. *Considera*: **Q**UOD sicut ex grandi incendio exhalari solet niger vapor, quò oculi redduntur inhabiles ad intuenda clarè objecta, sic ex illicitarum cupiditatum ardore humana ratio ita obfusca solet, ut mala moralia nullatenus advertat, in quæ sese precipitet. *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carniū &c.* Exclamant carnalibus deliciis excæcati Israëlita. Inde orta est depravatæ naturæ Indoles proh dolor! vîcujus cum illis nitimur semper in vetitum, cupimusque negata. Testatur S. Script. 3. Reg. 11. Salomonem adamâsse mulieres alienigenas multas. Mirum Hércle: quòd inter tot fœminarum greges, quas Rex iste aluerat, nulla fiat mentio mulierum Israëlitarum? sed hic perversæ, ut dixeram, mos est naturæ: desiderare, & frui eò, quod non licet habere; atque hinc ipsemet sapiens, à mulierum vitatarum usu insipiens effectus, testatur Proverb. 9. *Aquæ furtivæ dulciores sunt.* Atque Prosper p. 2. c. 8. de popul. Israël, ait: *Hac periculosa gravisque anima ingerit agritudo, ut noxia sumere velit, & quæ utilia sũnt, ac salutis proficiunt, spernat, ac renuat.* Hæc ergo agritudine affecti homines id miseræ habent, ut terrenis voluptatibus saturari nequeant, & cœlestibus penitus priventur; sicut Israëlitis manna de cœlo non prius missum legitur, antequam farina ex Ægypto delata omninò defecerit. Teste regiò Prophetâ Deus dat escam pullis corvorum invocantibus cum Plal. 146. quæso: cur non etiam majores & adultos corvos dicitur nutrire? cum isti arrodendis & devorandis animalium cadaveribus semper incumbant; hinc prorsus indigni videntur, ut Deus specialem providentiam illis impendat: pulli verò cum ejusmodi fœtentes escas ignorent, & non attrectent; hinc specialiter Deo curæ sunt. Haud aliter hominibus evenit, qui operibus mortuis, voluptatibus videlicet carnalibus & terrenis instar corvorum adultorum per prava desideria inhiantes, se prorsus indignos reddunt supernis deliciis. *Vincenti dabo manna absconditum.* Apocal. 2. Promittit Deus, contemnenti carnales sensualesque delicias dabo spirituales: nam sicut stomachus vilissimis

mīs cibīs repletus, etsi splendidissimo assideat convivio, nullum ta-
 men ex eo saporem & suavitatem percipit, donec illi decocti, & con-
 sumpti sint; ita Christiani hominis anima carnalibūs repleta deliciis
 recreari, & refici nequit spiritualibūs, donec illæ penitūs sint ejectæ.
 ô stolidissimi igitur mortalium! ut quid diligitis vanitatem, & quæ-
 ritis mendacium? ut quid neglectō vel etiam spretō manna inhiatis
 carnibus Ægypti? an nescitis: omnes sensuales delicias officinis Sac-
 caropæorum simillimas esse, quæ oculis spectantium obijciunt varias
 capfas, quibūs aureis litteris mille gustūs oblectamenta promittuntur;
 at si quis has aperuerit, inanes nonnisi pixides reperiet. Quid unquam
 talium voluptatum excogitare potuit mundus, quod non senserit
 Salomon? & tamen hīs omnibūs pastus exclamat: *Vanitas vanitatum*
& omnia vanitas. Quibūs sensuum oblectamentis non indulgit Henri-
 cus VIII. Rex Angliæ? & tamen ad ultima vitæ deductus, altum in-
 gemuit: *Amici perdidimus omnia!* ut moriturus luculentum deponeret
 testimonium: *Voluptates omnes, quibūs in vita fuisset cum tanto*
animæ suæ dispendio fruitus, res esse inaniissimas. *Franc. de Lich. c. 5.*
 refert; Parisiis intempestâ nocte tres viros non infimæ sortis per com-
 pita vagatos, vidisse de longinquo scēminam, cui puer præferebat fa-
 cem. Vultus velō tegabatur & larvâ. Quæsitâ à viris, proprius ac-
 cedere aulis: quid rerum ageret in platea inter umbras? reposuit: se
 cœnæ præparandæ causâ redire domum. Acceptō hoc responsō as-
 sociant se viri, & stipatō latere ad lares usque abeuntem comitantur.
 Referatam dein per famulum portam ingressi, & oblatō sibi per eun-
 dem potu vident velum cum larva remotum esse à vultu scēminæ,
 & adesse puellam raræ pulchritudinis. Ardere omnes, & quisque eâ
 potiri, quin etiam unus pudicitiam tentare. Illa quasi erubescere,
 tandem consentire incipit. Cupitâ voluptate fruuntur omnes: sed ut
 miserrimi vanitatis hujus sectatores se nihilo litasse cognoscerent,
 cernunt ante se scēminæ deperditæ locō jacere putridum ac tale fluens
 cadaver, puerō autem totōque domō mox disparente remanent tres
 illi, in abjectissimo civitatis loco depositi; duo quidem fractis cervi-
 cibūs mortui, tertius semivivus, qui inter cadavera repertus, confessio-
 ni relictus est. Hoc tragium exemplum cordi ducens Christiane Le-
 ctor, quidquid sensibilis amoris vel erga alienam, vel propriam per-
 sonam in illo vivit, ocius expelle, ne Dæmoni copiam facias, tibi
 turpiter & pernitiōse illudendi. Verbis Mosaicis obtempera, quibūs

R

ait

ait v. 19. hujus cap. *Nullus relinquat ex eo in manè.* Enim verò si diuturniorem moram in corde tuo eis concesseris, scatebit ipsum vermibus peccatorum: & sic nunquam mereberis refici sapidissimò Mannà celestium deliciarum.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 17. & 18. lib. Exodi, in quibus describitur Furgium Populi ob sitim, adaquatio ejus de petra. Victoria de Amalec reportata per preces Moysis Jethro adventus & consilium de ordinandis Judicibus.

N.98. Considera 1. **P**Luribus Christianis etiam singulari pietate insignibus, moraliter & tropologicè loquendò evenire, quod Israëlitis viatoribus evenerat: patiebantur hi ob penuriam aquarum sitim gravissimam; patiuntur & illi ob defectum spiritualium consolationum ac dulcedinum intolerabilem mentis ariditatem, cujus impatientes exclamant cum Israëlitis v. 2. capitis cit. *Da nobis aquam ad bibendum.* Verùm hos ego iisdem verbis, quibus ad Moysen usus est Deus v. 6. *Alloquor, inquit: Percuties petram, & exibit ex ea aqua.* Petra Christus est, quem oportet, per continuas preces pulsare, non intermittendò ullum ex consuetis precibus & sacris exercitiis. Taliter percussit hanc Petram Seraphicus Pater S. Franciscus, qui tantà animi desolatione cruciabatur, ut crederet saxa, si sentire possent, etiam dirumpi posse; à solitis tamen devotionibus nec latum unguem legitur defecisse. S. Mater Theresia 22. annos ea in ariditate consumpsit, ut quidquid Spiritum sapiebat, ei penitus videretur insipidum; attamen sacris insistere precibus non desistit: quò effecit, ut percussa Petra uberrimis divinarum consolationum aquis fluxerit: enim verò ad excellentissimum contemplationis gradum evecta, iussa est omnibus libris nuntium remittere, ut solum contemplaretur verbum, quod æternà generatione à Patre prodiit. Teste Penneq. p. 3. c. 3. Sacerdos quidam vitæ integerrimæ molestissimis phantasiis vexatus, adèò videbatur omnem spiritus dulcedinem perdidisse, & tantam contraxisse ariditatem, ut ad Altare sacra operari non valeret amplius: Petram tamen incredibili constantiâ gemitibus (cùm precibus ritè non posset) pulsans, eâ dulcedine perfundebatur, eâque teneritudine in Deiparam sibi charissimam ferebatur, ut totus propemodùm colli-


liquefceret. Quare ô Christiana anima! noli Israelitarum more in querulas & murmurofas voces erumpere, si Deo fideliter serviens, cogaris quandoque ariditatem sitimque Spiritûs pati. Noli ea de causa à bonis propositis, consuetis precibus & exercitiis remittere, audi S. Greg. lib. 20. Moral. c. 19. dicentem: *Omnipotens Deus, quos in aeternum diligit, aliquando ad tempus relinquit. Unde scriptum est. Ad punctum in modico reliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Hinc Psalmista deprecabatur: non me derelinquas usquequaque. Derelinqui igitur se, sed ad modicum posse, utiliter noverat, qui ne usquequaque relinqueretur peribat. Tecum agit Deus, ut agere cum charissimis suis infantulis Matres solent. Tegunt illæ velò facies suas, ut sic à parvulis pro absentibus habitæ, ardentius quærantur. Aut se gerit ut Novitiorum Magister, qui patientiam Novitii sui experturus, aut potum subtrahit, aut locò vini aquam ei porrigit bibendam. Nonne probationes istæ amoris potiùs, quàm aversionis alicujus signa sunt? nunquid delicatius tractari te cupis à Christo, quàm tractaverat virginèam Matrem suam, cui duodennis præsentiam suam subduxit per integrum triduum? cupisne ipsi Christi Discipulîs & Apostolîs clementius haberi à Christo, à quibus non tantùm, quantum est jactus unius lapidis, ut in monte olivarum contigit, sed spatiò, quò cœlum distat à terra avulsus est, ad Patrem vadens: quod tamen ideò factum, quia expedit vobis, ut ego vadam. Joan. 16. ita expedit tibi, ut quandoque se tibi subtrahat. Expedit: quia inde crescit meritum, si non decrescat studium servitutis tuæ. Expedit: quia augetur desiderium, eum avidius quærendi teste S. Bernardò in scala Claustr. col. 3. ubi ait: *Recedit ergo: ne forte nimis assiduus contemnatur, & absens magis desideretur, desideratus avidius queratur, diu quasitus tandem gratius inveniatur.* Age ergo in desolationibus tuis, quod egit Moyses hic durante pugna cum Amalec. Erige manus tuas ad cœlum, funde fervidas preces, insta tuis sine intermissione exercitiis: etsi per aliquot menses aut annos certandum sit, tamen perennet patientia tua. Aderit tibi gratia Dei, serio volenti, & manus à diuturnitate precum graves effectas, sustentabit instar Aaron & Hur, manus Moysis sustentantium.*

Considera 2. Quòd Deus voluerit Moysen, virum aliàs sapientissimum, etiam à Barbaro & alienigena instrui, & ab eo consilium petere, ut nos erudiat; nemini datum esse, ut in omnibus, & semper

R 2

sapiat;

fapiat; atque hinc humili auri excipienda esse aliorum consilia. Sic etiam Paulus etsi Galatarum 1. profiteatur: se Evangelium non accepisse ab hominibus, sed à Jesu; attamen cum Barnaba se contulit Jerosolymam, consulturus Apostolos de circumcissione Actorum 15. testatur pariter regius vates Psal. 104. senes Ægypti non recusasse instrui, & illuminari à juvene Josepho: *Ut erudiret Principes ejus, & senes ejus Prudentiam doceret.* Quin imò æterna Patris sapientia non dignata est Philippum consultorem adhibere Joan. 6. quærens ex ipso: *Unde ememus panes?* adhortor te ergo verbis S. Vincent. Ferrer. Serm. 1. Dom. 1. quadrages. dicentis: *Noli tibi credere, non erubescas egere præfidiis, quibus non egebat Christus, & tamen non negligebat, ut te doceret.* Sic age præsertim in rebus arduis, & animæ tuæ salutem concernentibus: aliàs *Stulto labore consumeris.* Meliores autem non reperies consultores, quàm tales, quales ad consilium adhibendos Deus præscripsit v. 12. hujus cap. viros videlicet *timentes Deum, & in quibus veritas.*



FASCICULUS XVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 19. lib. Exodi, in quo describitur specialis cura Dei pro incolumitate Israëlitarum, Pactum ejus initum de debita depositione ad legem accipiendam.

N. 100. Considera 1. **D**EUM non solum Israëlitas Viatores teste S. Scripturâ citati cap. v. 4. portasse super *Alas aquilarum*, ne quid injuriæ ipsis obtingeret, sed quotidie par obsequium præstare Christianis per assistentiam Angelorum Cultodum, dum cantat regius vates Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Non tam industriè sollicita Mater omnem cultrum semoveret, ne infantulus cum arripiens sibi damnum inferat, quantum custodes Angeli omnem remove a nobis student
occa-